

eclestia, contraria sunt carnalibus, quæ animum deprimunt, atque effeminant. *Caro enim concupiscit adversus spiritum*, inquit apost. ad Gal. V. cui adstipulatur Philo, in I. sacrif. ab. et cam. cum ait duas esse hominis uxores, virtutem et voluptatem. Qui virtutem duxit, is ad cœlestem cœnam properat: qui vero voluptatem, is a cœna retrahitur et dicit: *Uxorem duxi, et ideo non possum venire*, quia voluptati debere renuntiare. Denique sicut Tobias junior moras traxit causa nuptiarum, quominus properaret ad paternam domum regredi, Tob. X. sic conjugio juncti retineri solent causa conjugii, ne ad cœlestem patriam celeri et expedito gressu pergant.

Sed quid hic consilii? Quo filo emergunt conjuges ex hoc labyrintho? Qua ratione duobus hisce dominis, sibi adversantibus serviendum est? Filium suppeditat apost. I. Cor. VII. cum ait: *Reliquum est, ut qui habent uxores, tamquam non habentes sint*. Id explicat D. Greg. III. p. pastoral. c. XXVIII. *Uxorem*, inquit, *quasi non habens habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore inflectatur*. Recta igitur imprimis intentio operi conjugali præfigenda est, ut non sicut a brutis animalibus fit, serviatur carnis voluptati, sed Dei voluntati, qui posteriorum propagationem hac lege instituit. S. August. enarratione in Ps. CXLVII. ita Paulum explicat: *Quisquis etsi habet uxorem, quem propter infirmitatem duxit, plangens potius, quod sine uxore esse non potuit, quam gaudens, quia duxit, hic habens uxorem tamquam non habens*. Denique apostoli mens hæc est, ut conjuges non magnopere rei uxoriæ afficiantur, ut animum atque amorem magis in Domino, quam in uxoribus defigant, ut explicat D. Ambrosius et Anselmus.

Secundum est in servitute, qua alter alteri strictus est, ut non ad tam suam quam alterius voluntatem cogatur, v. g. unus vellet ad templum ire, alter prohibet et jubet domi manere vel aliud agere. Unus vellet peregrinari, alter repugnat: unus cupit in hac civitate vel regione habitare, alter vult in alia potius regione, eoque conjugem trahit etiam nolentem, non secus ac mancipium alligatum alteri mancipio. Unde apost. I. Cor. VII. *Alligatus es uxori*, ait ad virum et mox de muliere subdit: *Mulier alligata est legi*. Sicut servus nimirum servo, quod etiam ut exponit S. Hieron. contra Jovinian. ibi notat apost. cum ait: *Servus vocatus es? Nam: Qui uxorem habet, inquit, et debitor dicitur, et servus uxoris, et quod malorum servorum est alligatus*.

Bene proinde Metellus offerenti sibi Mario filiam forma, opibus, genere præstantem respondit: *« Probo equidem hæc omnia, sed malo esse meus, quam suus. »* Cui Marius: *« Imo ipsa erit tua. »* At ille: *« Mos alius est: virum uxoris esse oportet, si diu cum uxore vult esse. »* Porro: *« Qui cum uxore est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori. Quæ autem nupta est, cogitat quæ sunt mundi, quomodo placeat viro, »* addit ibid. S. Paulus. Qua ratione cogitationes ergo suas convertere ad Deum possint, si de conjugate ipsis cogitandum est? Quomodo se conformare Dei voluntati, qui conjugis voluntatem sequi coguntur? Quis hic modus se extricandi ex hoc labyrintho.

Filium iterum porrigit S. Paulus cit. loc. cum ait: *Servus vocatus es? Non sit tibi cura*, q. d. non te ex crucia, quasi in matrimonio pie vivere et salutem assequi nequeas, ut exponit S. Hier. in apol. contra Jovin. ex Origine, I. I. in ep. ad Rom. Quo enim modo servus comparare sibi salutem in servitute sua potest, eodem et tu potes. Monet porro idem apost. ad Eph. VI. servos, ut servant dominis suis sicut Christo. Ita etiam conjux cogitet se Christo in conjugate obstructum esse, ut voluntati ejus obtemperet, dum honesta imperat. Qui enim præcepit tibi, ut conjugis imperio pareas, idem acceptum habebit tuum obsequium, ac ipsi impendisses. Clare hoc ipsum Paulus ad Eph. V. mandat, imprimis mulieribus: *Mulieres viris suis subditæ sint, sicut Domino, nimirum: In viris suis considerantes Christum Dominum, qui est caput et sponsus Ecclesiæ*, inquit Estius. Habent igitur ad cœlum expeditam vitam: Christum uxores intueantur in maritis suis. Similiter et viri in uxoribus suis. Idem enim Deus dixit Abrahamo: *Omnia quæ dixerit tibi Sara, audi vocem ejus*, Gen. XXI. Cum nimirum justa, quæ ipsis debentur, et salutaria petunt, v. g. ut mariti ludis abstineant, domus suas curent, bona non dilapident, Deum timeant: Deum enim tunc monentem se audire credant.

Tertium est prægravibus matrimonii oneribus, in educenda, alenda, elocanda prole: in conjugis vitia tolerando: et in familia gubernanda: in afflictionibus sustinendis, in crucis et molestiis quotidianis, quasi ipsis per experientiam melius intelligent, quam explicari eis possit. Quæ omnia non paucos etiam cordatos absteruerunt a nuptiis, vel ob contractas dolores pertulerunt. Phoroneus Argivorum a thesauris nominatissimus rex die, qua decessit, Leontio fratri suo dixit: *Nihil mihi defuisset ad plenam felicitatem si defuisset uxor*. Leontio causam quæ-

renti: *« Sciunt hoc omnes mariti, »* inquit, Brus. I. VII. c. XXII. Democritus ille philosophus Abderitanus, eujuscumque fortunæ derisor, interrogatus, cur ipse homo proceræ staturæ tam parvam duxisset uxorem? *Ego*, inquit, *in malo eligendo, quod minimum erat, elegi*, Anton. p. II. meliss. p. XXXIV. Non absimile responsum dedit Thomas Morus Angliæ cancellarius sapientissimus, cum rogatus cur tam humilem statura uxorem elegisset, respondit: *Quia e duobus malis minimum eligendum putavi*, Staplet. in vita, c. XIII. Utique hæc illos propter innumeras miseras, quas secum adferunt uxores, dixisse credendum est. Nam ut ait S. Gregorius, I. XXVI. moral. c. XXI. *« Bonum est conjugium, sed mala sunt, quæ circa illud ex hujusmodi cura succrescunt. Dum ergo tenetur, quod non nocet, et rebus juxta positis committitur plerumque quod non nocet: sicut sæpe recte mundumque iter pergitur et tamen ortis juxta viam vepribus per vestimenta retinemur; ita via quidem munda non offenditur, sed a latere nascitur, quo oppugnamur. »*

Sed quod huic periculo remedium? Nihil melius meo judicio, quam fortis et constans animus ad exedendum, quod quisque sibi intrivit, et ferendam crucem, quam sibi quisque imposuit, ad trahendum currum, tametsi quandoque inversus fuerit. Hoc enim prædixit eis apost. I. Cor. VII. cum dixit: *Tribulationem carnis habebunt hujusmodi*. Quodque mirum est, prædixerunt etiam gentilibus novis nuptis. Refert enim Plutarchus, in præcept. conjug. Lepiti, quæ Africae civitas est, moris fuisse patrii, ut postridie nuptiarum sponsa ad soerum mitteret peti- tum ollam: illam vero negasse et quidem cum convicio ut ita novecalem soerus animum initio statim sponsa experta, non ferret iniquo animo, si quid ei postmodum asperius contingeret. Quamobrem quicumque uxorem ducere cogitat, sibi dictum illud existimet, quod ad numellas In- golstadianas inscriptum memini me legisse: *Sustine aut abstine*. Seu quod Vasso in Menippo dixit: *Vitium uxoris aut tollendum aut ferendum est*. Denique notandum, quod S. Chrys. ho. XV. ex variis de decollat. S. Jo. scribit: *« Quisquis habet mulierem malam, cogitet quoniam iniquitatum suarum portat mercedem. »* Ita affectus erat Tobias senior, cum uxoris improprium inter alias calamitates audivit. Ingemiscens enim precatus est cum lacrymis: *Justus es Domine, et omnia judicia tua justa sunt*, Tob. III. legitur. *Quando morbi vexabunt*, inquit S. Hilarius, in Ps. CXVIII. *passiones et cruciatus corporum desævient, luctus et orbitates affligent, semper utamur hac voce*

dicentes: Justus es Domine, et rectum judicium tuum. Hoc filo, vos neonymphi, labyrinthum evadatis quin et Minotaurum dæmonem, qui matrimonio insidiatur, Asmodæum, inquam, non minus superabitis, quam Tobias junior, qui duce Raphaelæ abiit in Mediam, indeque ad patriam rediit salvus et incolumis, auctus divite conjugio; quod et vobis precor, ut e conjugii labyrintho evadatis in patriam cœlestem.

CONCIO XII.

SPONSO OFFERTUR PECTEN, SPONSÆ VERO SPECULUM, PAPA BONIFACII V.

Pro antiqua omnium fere nationum consuetudine solent novis nuptiis offerri quædam munuscula, sive pecuniaria sive suppellectilia. Quidni et ego quoque, nisi inurbanus sim, depromere et offerre ipsis debebo apophoretum aliquod? Et quod illud? Quale Bonifacius V. papa misit Edelburgi, Eduini, Angliæ regis, conjugii, cum his verbis claudens epistolam suam: *Benedictionem etiam protectoris nostri B. Petri ad vos direxerimus, speculum scilicet argenteum et pectinem eburneum inauratum*. Ita refert Ven. Beda in Ang. hist. lib. II. anno 625. Surlius in vita S. Paulini Eborac. episcopi. 10. oct. procul dubio non absque causa et mysterio. Meo quidem judicio voluit instruere neophytum regem per pectinem, conscientiam nimirum examen quotidie adhibendum: reginam vero per speculum, pulcherrimum scilicet virtutis exemplum, quo ipsa moneretur, ut neophyto marito talia virtutum exempla præberet, quibus ipse vitam suam ad ipsius normam posset componere. Non absimili de causa vobis hoc donum offero: sponso, ut utatur pectine, (hic enim viris magis quam mulieribus convenit) sponsæ, ut adhibeat speculum (hoc enim mulieribus potius quam viris competit) non tam ad se contuendam, quam ad vitam suam suorumque familiarium recte instituendam. Antiqua Romanorum acclamatio novis nuptis data fuit: *Tu sponsa sis Caius*, hoc est, bonus paterfamilias. Tu sponsa sis *Caia*, hoc est, bona materfamilias. Hoc idem vobis precor, et discite sponsæ e pectine, sponsa vero e speculo.

I. Bonus paterfamilias suum ipse capillum pectat, ut præeat familiæ suæ bono exemplo, (solent enim mares semetipsos pectere; mulieres ab aliis comuntur.) Ratio est, quia maritus totius domus caput est: quem subditi nec audent facile admonere, nec possunt, cum rudiores fere sint. Sibi dictum existimet, quod Tito

præscribit S. Paulus: *In omnibus teipsum præbe exemplum*, ad Titum II. Nisi enim suis virtutis faciem præferat, nemo alius præcedet per obscuram honestatis viam. Frustra Vitoldus Lithuanie dux præcepit suis subditis, ut barbas abraherent, dum ipse prolixam barbam gestavit: ita frustra laborabit paterfamilias in pectenda et formanda familia si ipsemet impexus in eorum conspectum prodeat. Solem sequuntur heliotropia, multi alii flores: ita et familia patrefamilias, qui solem in sua domo representare debet, uti Joseph in somnio vidit, Gen. XXXVII. Sole recedente claudunt se flores et languent; et cum deficiente patrefamilias, deficit familia. Testem adduco Plutarchum, de liber. educ. ita docentem: *Ante omnia debent parentes nihil peccando, omniaque pro officii rationibus agendo, evidens sese liberis exemplum præbere, ut in istorum vitam tamquam in speculum intuentes a turpibus dictis factisque avertantur. Quorum vero tota vita turpis est si ne servis quidem objurgandi libertatem sibi relinquunt, nedum filiis.* Dicunt enim eis, quod junior cancer parenti docenti eum recta ingredi: I præ, sequar. Fuit hujusmodi exemplar familie sue Job, qui dixit: *In circuitu meo, pueri mei*, Job, XXIX. sicut linea videlicet circa centrum. *Ut illum tamquam in centrum oculorum animique aciem intentam haberent*, inquit ibi Nicetas.

II. Suaviter et placide capillum sibi pectat, ne radicatus evellat. Capilli sunt domestici, uxor, liberi, servi ancillæ, qui omnes adherent illi, sicut pili capiti, quod est paterfamilias; suaviter ergo tractandi sunt. Hinc Seneca Lucillum laudat ep. XLVII. *Familiariter*, inquit, *cum servis tuis vivis. Hoc prudentiam tuam, hoc eruditionem docet. Servi sunt? Imo homines. Servi sunt? Imo contubernales: imo humiles amici, imo conservi, etc.* Et hoc egit vir ethnicus cum mancipiis suis, pretio coemptis. Quid agat Christianus cum servis præcise mercenariis? Quid cum dilectis filiis et conjugibus? Audiatur Ecclesiasticum, cap. IV. *Noti esse sicut leo in domo tua vertens domesticos tuos et opprimens subjectos tibi.* Leo in silvis rugiens cæteris animantibus metum et horrorem incutit, vires et cursum adimit, sicque enervatas in prædam suam cogit. Non aliter iracundus paterfamilias suo furore et clamore familiam suam percillit. Omnes enim domestici ad hujusmodi rugitus animum abjiciunt et officium facere desinunt, quod præsertim contingit cum dissidium oritur inter maritum et uxorem. Cum enim sint una caro, si forte per discordiam hæc caro dividatur, et quasi inflieto vulnere incidatur, quomodo non omnia corporis membra plagam illam sentient? Quomodo non tabescent? Furio-

sum illum censemus, qui capillos sibimet ex ira evellit. Quid dicendum de illo, qui carissima sibi pignora furore suo affligit? Utatur potius pectine paterfamilias et sua discretionem capillos istos, etiam perturbatos comiter in ordinem redigat.

III. Pectendo capillos suos abjiciat pediculos, si quos in eis deprehenderit, vitia nimirum quæ adherent domesticis. Quod attinet ad uxorem, si fidem frangit, nec correcta respiscat locum habet illud Sap. XVIII. *Qui tenet adulteram, stultus est et impius.* Si enim vir ex imprudentia id patitur, et condonat uxori, quasi non magni æstimet ejus adulterium, stultus est: si viro ex malitia id ipsum tolerat, quia inde quæstum et lucrum expectat, vel quia et ipse fidem uxori frangit, impius est. Lapsam tamen et respiscentem uxorem recipere, pium et honestum est. Quod attinet ad filios, exemplum habemus in Abraham et Sara, qui ejecerunt e domo filium Ismaelem ludentem cum Isaac, hoc est vexantem, illudentem, vel etiam ut Hebræi sentiunt, evertentem effectis quibusdam imagunculis quasi idolis, Gen. XXI. Denique quod spectat ad servos et totam familiam, in exemplum venit Jacob, qui Gen. XXXV. cum haberet uxores duas gentilitiæ superstitionis et familiam eadem labe aspersam, fecit lustrationem et edixit: *Abjicite deos alienos, qui in medio vestri sunt, et mundamini, ac mutate vestimenta vestra.* Idem et Davidem præstitisse indicat illud ejus decretum: *Non habitabit in medio domus meæ qui facit superbiam, qui loquitur iniqua, etc.* Ps. C. Denique nec idem sensu mystico præcepit olim Deus, Levit. XIV. quando jussit leprosos, hoc est, vitiosos et infectos lapides erui e domibus per manum sacerdotis, et substitui novos ac sanos. Notant illi familiares perversis moribus ac dogmatibus imbutos e domo ejiciendos, ne alios inficiant. Sacerdos qui hujusmodi lapides, ejicere jubetur, non est alius nisi ipse paterfamilias, de quo S. August. tract. I. in Jo. ita scribit: « Unusquisque paterfamilias agnoscat paternum affectum suæ familie se debere pro Christo et pro vita æterna, suos omnes admoneat, doceat, hortetur, corripiat, impendat benevolentiam, exerceat disciplinam. Ita in domo sua ecclesiasticum et quodammodo episcopale implebit officium, ministrans Christo, ut in æternum sit cum ipso. » Ex paucis lapidibus infectis censebatur tota domus leprosa esse: ita ex paucis exprobris domesticis tota familia sit infamis; et qualis est familia, talis putatur esse paterfamilias: atque ut Clemens Alexand. I. III. pædago. c. XI. ait: *Qualis est domina, talis est catella.*

Quid porro matrifamilias dabimus? Speculum argenteum. Teste enim Plutarcho in apophth. « Sicut speculum non illud bonum existimamus, quod auro gemmisque nitens sit, sed quod tersum est et pellucidum, nihil depressi, prominentis in se nihil continens: sic uxor non auro gemmisque, sed quæ virtute præfulgeat, illa optima censenda est. »

I. Ergo representet mores mariti ad instar speculi. Nam: « Ut speculum, ait idem Plutarchus, in præceptis connub. auro gemmisque ornatum utilitatem nullam affert, nisi similem speciem referat: sic opulentæ uxoris nullus fructus est, nisi vitam moresque præstet cum vita et moribus viri congruentes et consentaneos. » Tristatur vir? Ne rideat, sed moreat uxor. Lætatur vir? Ne ipsa doleat, sed hilarem et ridundam imaginem reddat. Sit uxor et operatio uxoris quasi fidelissima echo voluntatis, seu nutus mariti. Quæ causa meo judicio est, quod Deus quamprimum formavit Evam, statim adduxit eam ad Adam, ut velut speculum in se representaret maritum suum, coram se statutum. Præstitit hoc egregie ad initium Sapphira illa, cum viro Anania consentiens bona sua omnia Ecclesiæ devovit. Sed ad postremum erravit, cum idem in causa injusta fecit, quando mentiendi viro se quoque conformavit, mendacium confirmans, Act. V. Interrogata enim de pretio agri, num tanti eum vendidisset quantum vir indicaret: *Etiam tanti* respondit, quia nimirum domi cum marito convenerat, non indicaturos se nisi dimidium pretii. Oh! si in justis causis ita inter se convenirent conjuges!

II. Ad instar speculi ostendat marito suo nævos et defectus ipsius, quos emendet. Id enim facit speculum, et quidem placidissime, sine probro, aut convicio, præcise ostendit hominem sibi, ut seipsum redarguat sui contemplatione. Hoc prudentis uxoris est. Quemadmodum ergo Socrates præstanti forma juvenes, cum forte pudendum quid admisissent, statuebat ante speculum, ut se contuerent, et judicarent an hæc facta talem decerent. *peciem: ita sapiens uxor seu suavi adhortatione, seu virtutis suæ exemplo representet viro nævos ejus; quam ipsum, v. g. dedecet iracundia, ebrietas, levitas, scurrilitas, etc.* Ita prudens ill. Abigail maritum ebriosum post discussam atque edormitam crapulam redarguit stultitiæ et erroris admissi: proposuit ei periculum interitus, in quod se et domum suam conjecerat, ita ut vir obstupesceret, I. Reg. XXV. Pari modo, sed non pari causa et laude, reprehenderunt Michol illa, et Jezabel, reges maritos ambæ: illa Davidem de indecen-

tia, ut putabat, admissa per saltum et lusum ejus coram arca, oggerens ipsi: « Quam gloriosus fuit hodie rex Israel, discooperiens se ante ancillas servorum; et nudatus est, quasi si nudetur unus de scurris, » II. Regum VI. Ista vero Achabum de effeminata pusillanimitate ad rapiendum hortum Nabothi: « Grandis auctoritatis es, et bene regis regnum Israel, » III. Reg. XXI. Exprobrarunt istæ viris suis, quod non debuerunt, quia imprudentes fuerunt. Uxor bona et prudens id objiciat viro, quod revera eum dedecet, sed quasi in speculo placide, absque probro et derisione.

III. Quemadmodum speculum omnem corporis habitum, gestum, speciem, incessum, situm, inspicienti representat, solam vocem seu loquelam ejus non refert, sed continuo silet, quantumcumque aliquis ante speculum loquatur, vociferetur, blasphemet, exeretur, ita et matrifamilias tonante et fulminante marito labia compescat, ne irato obloquatur, ne ignem igni addat; quo videtur respexisse Aristophanes, in polyd. cum dixit: *En uxorem hanc tibi trade Phædrum. Videor autem mihi ignis additurus.* Quod profecto fit, cum irato viro uxor linguam suam opponit: sanius enim taceret, et tunc ira viri, sicut ignis oclusus, ex se se evanesceret. Hanc loquendi parcitatem et silendi artem commendat S. Hieronymus Celantiæ, in ep. de institutione matrifamilias: *Sermo*, inquit, *in omnibus moderatus et parvus, et qui necessitatem loquendi magis indicet, quam voluntatem.* Hæc arte edomuit ferocem alioquin et iracundum maritum Patricium S. Monica teste filio Augustino, I. IX. confess. c. IX. « Noverat, inquit, non resistere irato viro non tantum facto sed ne verbo quidem. Jam vero refracto et quieto, cum opportunum videret, rationem facti sui reddebat, si forte ille inconsideratius commotus fuerat. » Hæc industria non pacatum duntaxat, sed et bonum Christianum effecit.

Hæc sunt, quæ promisi vobis, munuscula, non magni quidem pretii, permagni tamen adjuvamenti. Multum juvant hominem pecten et speculum, ut se mundum servet a sordibus, et a vermiculis. Proderunt etiam vobis hæc documenta, ad conservandam animi puritatem: *Ad religionem mundam et immaculatam, ut possitis immaculatos vos custodire ab hoc sæculo, Jac. I.*

CONCIO XIII.

IA INTER CONJUGES COLLUCTATIO, EX SACRARUM MORE.

Ælianus, historicus Romanus miram Sacarum, qui sunt Seythiæ Asiaticæ populi, consuetudinem nuptialem refert, l. XII. c. XXVIII. « Apud Sacas, inquit, si quis puellam uxorem ducere cupit, pugnam cum ea suscipit : et si illa superior sit, captivum abducit atque imperium in eum obtinet : sin inferior, regitur ab ipso. Certant autem non de vita, sed de victoria. »

Hujusmodi certamen denuntio et indico vobis, novi conjuges, de victoria, non de vita, de meritis et virtutibus, non de fluxu imperio; denique non de gloria humana, sed de corona gloriæ cœlestis. Vobis dictum arbitramini, quod omnibus dixit Christus : *Contendite intrare per angustam portam*. Quicumque in hoc duello vicerit, superior altero conjuge in cœlo et non ad dies vitæ hujus, sed in perpetuum erit. Sed quibus tandem in rebus luctandum vobis erit? Audite et intelligite.

I. Certare inter vos de amore, et magna vi contendite ut alter alterum vincat. Ecce vero? Quia estis una caro et unum corpus. Solet autem in uno corpore membrum unum amore conservandi alterius periculo et ictui se exponere, brachium pro servando capite, manus pro tutandis oculis, pedes fugam accelerant, ut totum corpus salvent. Unde apost. ad Eph. V. ait : *Qui suam uxorem diligit seipsum diligit. Nemo enim unquam suam carnem odio habuit, sed fovet et nutrit eam, sicut Christus Ecclesiam* : qui ut paulo ante dixi : *Semetipsum prodidit pro ea*. Vicit in hoc duello Jacob patriarcha, qui obviam pergens fratri Esau, sibi a teneris infenso et implacabili, nequaquam de se, sed de conjuge dumtaxat sollicitus dixit : *Valde eum timeo, ne forte veniens percussit matrem cum filiis*, Gen. XXXII. Ecce non timet sibi Jacob, sed timet uxori et filiis. Vicissim Michol conjux Davidis, ut maritum ad necem a Saule rege quæsitum servaret, dimisit per fenestram, ejusque loco statuam in tecto adornavit, ad custodes eludendos; adeoque seipsam regis iræ ac furori pro marito objecit, I. Reg. XIX. Quin etiam apud gentiles præclarum hujusmodi certamen inter regias conjuges eluxit. « Cum enim Acastus Pelæ, Thessalorum regis filius sorores suas ad mortem expeteret, quod illæ parentem, tametsi imprudentes (dum sanare vellet) occidissent Alcestis una illarum apud Armetum regem maritum suum erat. Hunc Acastus cepit et necaturum se illum est minatus, nisi

uxorem traderet, illud vero constanter pernegare. Cumque non procul abesset, quin occideretur, Alcestis ultro est ad mortem profecta, ut virum servaret. » Refert Lud. Vives, l. de fem. christi. Quis hanc amoris colluctationem inter ethnicos conjuges non magnopere miretur? Vir pro uxore, uxor pro viro sue mori contendit, ut alter alterum servet. Quid igitur non subeundum conjugibus christianis pro amore mutuo? Neque hoc in regia solum indole, sed in rusticana quoque eluxit, cum agricola quidam Lentis Colnensis in regno Neapolitano, absens domo uxorem perdidisset et procul navis piraticam in anchoris hærentem conspexisset, ratus id quod erat, uxorem a piratis esse abductam et in navi detentam adnavavit, et se concaptivum ultro ad triremes tradidit, uxoris amore, non sine barbarorum stupore. Cæterum abductus in Africam a Tunetensium rege propter eam fidem libertati restitutus est, Fulgos, l. IV. c. VII. In hoc ergo amore excellere studeant conjuges et alter alterum vincere.

II. Mutuo honore, præferendo sibi conjugem. Si enim apostolus monuit omnes fideles, ut sint *honore invicem prævenientes*, ad Rom. XII. et rursus : *In humilitate superiores sibi invicem arbitrantes*, ad Philip. II. utique et conjugibus dictum hoc esse voluit. Habet enim Adam, cur sibi præferat Evam, quia ipsa ex costa Adæ, Adam e luto creatus est : ipsa in paradiso, Adamum sibi præferat, quia ipse prior creatus est, illa posterior : ipse velut caput Evæ præpositus, illa velut adjutorium adducta et subjecta fuit. Hinc merito uxores honoratiorem locum offerunt maritis et mariti vicissim uxoribus. Ita B. Joseph, potiorum honorem detulit suæ conjugi, dum repertum in templo filium non ipse alloqui voluit, sed eum honorem conjugi permisit. Vicissim ipsa sponsum sibi præferens dixit : *Pater tuus et ego* (ecce sponsum præmittit) *dolentes quærebamus te*. Idem certamen videre est in Abraham et Sara : hæc ipsum appellabat *dominum suum*, Gen. XVIII. *Dominus meus vetulus est* : ille vicissim appellavit eam *Sarai*, h. e. *domina mea*. Abraham ad petitionem conjugis ejecit ancillam, Gen. XXI. Sara ad petitionem Abrahæ finxit se ejus sororem, Gen. XII. Viderint ergo conjuges ne alter alterum spernat, aut indecoris nominibus compellet : multo minus violenta manu imperat. Audiamus S. Chrysost. hom. XXVI. in l. ad Cor. « Vos viros illud admoneo, nullum, tametsi grave peccatum, ad verberandum uxorem vos compellat. » Et mox : « Etenim summa injuria est vitæ sociam et in rebus necessariis antea tibi conjunctam, tamquam mancipium injuria affi-

cere. Ideo hujusmodi virum si quidem vir appellandus est potius quam fera, et patricidæ similem esse dixerim. »

III. In patientia et obsequio mutuo. Si enim apost. ad Eph. IV. omnibus Christianis præcepit : *Cum patientia supportantes invicem*, et ad Gal. VI. *alter alterius onera portate*; multo magis conjugibus, arctissimo amoris vinculo connexis. Unde S. Chrys. hom. supra c. ait : « Quod si invicem onera ferenda sint, multo magis uxoris. Et si pauper sit, noli exprobrare, et si stulta, noli ei insultare, sed esto modestior : etenim tuum membrum est, et caro una facti estis. Sed stulta est, ebria, iracunda, igitur dolendum est, non irascendum, et Deo supplicandum, et ipsa admonenda est, et adjuvanda consilio. »

Quod si conjux alter infirmus sit vel senio confectus, certent inter se de patientia, ut infirmus quidem patienter ferat molestias et conjugis negligentias : alter vero sanus infirmi miseriam et impatientiam. Captant exemplum vel ab ipsis brutis animantibus. Aleyon, marina avis, suo conjugi semper adhæret, eumque jam annis gravem et ægre sequentem fovet nusquam destituens, quin et dorso impositum gestat teste Plutarcho, in comment. de solertia animal. Hoc idem obsequium præstitit Guelfo Bavaricæ duci Winspergæ obsesso a Conrado III. imperatore, conjux. Impetrata enim a Cæsare licentia, ut matronæ saltem inviolatæ oppido excederent, nec aliud quam quod humeris ferre possent, exportarent : illa maritum ducem in humeros susceptum extulit; exemplum ejus secutæ cæteræ mulieres, singule singulos viros suos, humeris suspensos exportarunt. Quo spectaculo summe recreatus Cæsar et urbi pacem dedit, et amicitiam cum acerrimo hoste contraxit, abb. Spanhaim Gottfrid. Viterb. Æmilii, l. VII. Placebit etiam Deo si viderit par conjugum in afflictione sibi mutuo assistentes. Ita enim ait Eccl. XXV. « In tribus beneplacitum est spiritui meo : concordia fratrum et amor proximorum, et vir et mulier bene sibi consentientes; Græce, mutuo una circumferentes. Plane sicut aleyon conjugem suum circumfert. Qui celer est et iracundus, ferat senem tardumque, segnis autem ferat vehementem illius impetum, ait Theophylactus ex Chrys.

IV. In pietate, morum probitate et virtutum splendore. Corinthios monet apostolus I. Cor. IX. ut in stadio hujus vitæ sic currant, ut comprehendant, adeoque, quod in eo certamine fit, alter alterum præveniat et vincat. Sic duo illi amore conjunctissimi apostoli, Petrus et Joannes cucurrerunt simul ad sepulcrum Christi. Et

II. PARS HIEMALIS.

Joannes quidem : *Præcurrit citius Petro*, sed non intravit. Petrus autem prior Joanne ingressus est. Itaque Joannes videtur vicisse Petrum in amore, Petrus Joannem in fiducia et magnanimitate. Pari modo certant inter se conjuges christiani in stadio matrimonii; ut alter alterum in officio suo, necnon in virtutibus vincere conetur : quale certamen in primis est; quod præscribit illi apostolus ad Ephes. V. *Unusquisque (vir) uxorem suam, sicut seipsum diligit : uxor autem timeat virum suum*. Viro tamquam capiti competit amor : uxori quasi subditæ convenit timor et reverentia. Virum igitur uxor in omnibus sibi præferat et reverenter alloquatur nec quidquam in eo vituperet, aut reprehendat coram aliis. Audiat Chrysostomum in eum locum, sic scribentem, hom. XX. *Quis est autem timor? Ut non contradicas, ut non insurgas, ut primas partes non ames*. Vicissim vir uxori omnem benevolentiam et amorem impendat, eamque in hoc vincere conetur. Ita Patricium suum vicit sibi que devinxit S. Monica, de qua S. Augustinus filius, lib. IX. conf. c. IX. ait : *Tradita viro, servavit veluti Domino, et sategit eum lucrari tibi (Deus) loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchram faciebas et reverenter amabilem atque admirabilem viro suo*. Certent inter se sicuti parentes Samsonis, de timore Dei et fiducia in Deum. Pater Manue dixit ad uxorem : *Morte moriamur quia vidimus Dominum*. En timorem Dei, in marito. Sed quid respondit uxor? *Si Dominus nos vellet occidere, de manibus nostris holocaustum, et libamenta non suscepisset*, Judic. XIII. Ecce spem in Deum. Vir uxorem vicit in Deo timore, uxor virum in fiducia erga Deum, si inter timorem et spem secure degebant. Certent inter se amore, ut et ab altero sepeliri velit, quo modo Tiberius Gracchus cum uxore sua, apud Cal. Max. lib. IV. cap. VI. Cum forte in Tiberii ædibus duo angues deprehensi essent, mas et femella; consultus super hoc auspex, quid ostendi esset, respondit si mare occiso femella dimittatur, uxorem Gracchi Corneliam victuram Gracchum vero moriturum : sin vero femella necetur, Gracchum supervicturum. Quo cognito statim Gracchus jussit marem occidi, malens ipse suum, quam uxoris obitum videre : cui utique ingrata fuisset uxor, si non vicissim ipsa præmitti ad sepulcrum desiderasset. Unde subdit auctor : *Itaque Corneliam nescio utrum feliciter dixerim, quod talem virum habuerit : an miseriorem, quod amiserit*. Jam si hoc fecere ethnici, cur non facient Christiani? Hæc itaque est lucta illa pia et sancta, qua vos, o neonymphi, contendere decet, ut exhibeatis jucundum Deo spectaculum, et coronas vobis